SERVI DEI ANASTASII HARTMANN
O. MIN. CAP. EPISCOPI

PSYCHOLOGIA ARTI PASTORALI APPLICATA

IN USUM MISSIONARIORUM TOTIUSQUE CLERI
CATHOLICI UTILITATEM CUM PROLEGOMENIS
ET ADNOTATIONIBUS IN LUCEM EDIDIT

P. DR. ADELHELMUS JANN O. MIN. CAP.
PROFESSOR IN LYCEO ATQUE GYMNASIO STANTIENSI

CUM AUCTORIS EFFIGIE

063
914

OENIPONTE (INNSBRUCK)
IN AEDIBUS FELICIANI RAUCH
1914

VERLAG VON FELIZIAN RAUCH, INNSBRUCK

Für die Bibliothek des Priesters

P. BIEDERLACK, DR. JOSEF S. J.

Die soziale Frage. Ein Beitrag zur Orientierung über ihr Wesen und ihre Lösung. 8. Aufl. X u. 340 S. Preis M. 2.55, geb. M. 3.40.

Nach berufenem Urteil bietet das Buch die beste und prägnanteste Erklärung des Wesens der sozialen Frage. Für Jeden, der mitzuwirken hat an der Lösung des sozialen Problems ist Biederlacks soziale Frage unentbehrlich.

P. DONAT, DR. JOSEF, REKTOR S. J.

Die Freiheit der Wissenschaft. Ein Gang durch das moderne Geistesleben. 2. Aufl. XII und 520 Seiten. 8°. Preis M. 4.—, geb. M. 4.95.

Verfasser hält in diesem großzügigen Werk gründliche Abrechnung mit den Vertretern des Modernismus. Es ist ein tiefdurchdachtes und anmutendes Buch, interessant und für den Gebildeten leicht verständlich geschrieben.

P. FONCK, DR. LEOPOLD S. J.

Die Parabeln des Herrn im Evangelium. 3. Aufl. XXXIV und 928 Seiten. 8°. Preis M. 6.15, geb. M. 8.50.

Eine mustergültige Auslegung, Wort- und Sacherklärung der Parabeln mit Anweisung zur homiletischen Verwertung der Gleichnisse.

Die Wunder des Herrn im Evangelium. Band I. VIII und 470 Seiten. Preis M. 3.60, geb. M. 5.45.

Das Gegenstück zu des Verfassers „Parabeln" enthaltend eine gründliche exegetische und praktische Erläuterung der „Naturwunder".

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

ANASTASIUS HARTMANN O. MIN. CAP.

Episcopus Titularis de Derbe
Vicarius Apostolicus de Patna, Bombay et Punah in Indiis Orientalibus
Procurator Generalis Missionum
(1803—1866)

M. P. v. Deschwanden Lucernae et Stantii pinxit 1856.

SERVI DEI ANASTASII HARTMANN
O. MIN. CAP. EPISCOPI

PSYCHOLOGIA ARTI PASTORALI APPLICATA

IN USUM MISSIONARIORUM TOTIUSQUE CLERI
CATHOLICI UTILITATEM CUM PROLEGOMENIS
ET ADNOTATIONIBUS IN LUCEM EDIDIT

P. DR. ADELHELMUS JANN O. MIN. CAP.
PROFESSOR IN LYCEO ATQUE GYMNASIO STANTIENSI

CUM AUCTORIS EFFIGIE

26736
DISCARDED

OENIPONTE (INNSBRUCK)
IN AEDIBUS FELICIANI RAUCH
1914

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

IMPRIMATUR

LUCERNAE, 14. IULII 1914

FR. FRIDOLINUS AB OBERRÜTI
MINISTER PROVINCIALIS L. I.

(L. S.)

No. 3631
IMPRIMI PERMITTITUR

BRIXINENSE, DIE 23. MAII 1914

FRIEDLE
VIC. GEN.

OMNIA IURA RESERVANTUR

Province of St. Joseph
Capuchin Franciscan Libr.
Mt. Calvary, Wisconsin
FR
253
H 25

WITHDRAWN

ALBERTO MEYENBERG

PIETATIS ERGO

Index.

pag.

Editoris Prolegomena . . . . . 5—15

Psychologia arti pastorali applicata . . . . . 16—39

§ I. Introductio . . . . . 16—18

§ II. Cognitio hominum psychologica . . . . . 18—20

§ III. Missionarii dotes . . . . . 20—23

§ IV. Historia hominis psychologica . . . . . 23—24

§ V. Principia generalia . . . . . 24—26

§ VI. Principiorum generalium continuatio . . . . . 26—30

§ VII. Qualiter cum Neophytis agendum . . . . . 30—34

§ VIII. Qualiter cum Haereticis agendum . . . . . 34—39

EDITORIS PROLEGOMENA.

Seraphici Ordinis FF. Minorum Capucinorum columen atque decus inclytum, P. Anastasius Hartmann, Altwisii in Helvetia, die 24. Februarii 1803, perantiqua piissimaque ex stirpe ortus, sedula parentum cura ad pietatem omnisque generis virtutem ita informabatur, ut vix 18 annos natus absolutisque in celeberrimo Gymnasio Salodorensi humanioribus studiis, gliscentes mundi despiciens illecebras, ad Ordinem seraphicum Capucinorum advolaret. Disciplinae altiorisque perfectionis studiosissimus, in festo Stigmatizationis S. P. N. Francisci anni 1822 vota solemnia nuncupavit ac curriculo Philosophiae sacraeque Theologiae summa cum laude ad finem perducto, die 22. Septembris 1825 sacris initiatus est.

Dum primo deinde quadriennio in Conventu Lucernensi degebat, ut Christi praeco singularis prorsus atque indefessus ubique verba divina disseminabat, Abbatias tamen vetustissimas Eschenbachensem ac Rathausensem secundi Ordinis Cisterciensium ex imposito sibi officio in spiritualibus moderari ne in minimo quidem negligens. Anno iam 1830 Novitiorum Magister electus, pauloque post ad Philosophiae sacraeque Theologiae cathedram in Conventu Friburgensi promotus, quam etiam ab anno 1839 usque ad a. 1841 Salodori occupavit, lectissimos suos discipulos pietate regularique disciplina non minus ac scientiis imbuebat.

Divinitus denique vocatus atque ad palmam martyrii anhelans studioque dilatandae religionis incensus, natali solo amoenissimo valedicens, an. 1841 Urbem petiit missionem transmarinam quaesiturus, quam biennio post,

deposito munere controversiarum professoris ac viceregentis in Collegio S. Fidelis a Rmo P. Eugenio de Rumilliaco, Ministro Generali, Romae noviter erecto, in urbe Gwaliorensi in Indiis Orientalibus a Vicario Apost. de Agra assignatam, laetabundus tandem obtinuit. Propter doctrinae vero eminentiam sanctitatisque splendorem, quibus veluti stella matutina sedentes in tenebris et in umbra mortis irradiatione praefulgida direxit ad Christum lucem, anno 1845 Episcopus Derbiensis i. p. i. invitus utique atque reluctans consecratus est primusque Vicarius Apost. de Patna constitutus, quam vero immensam Missionem an. 1849 iussu Pii Papae IX. fel. rec., cum illustriore Bombayana sede transmutavit, cui tamen tunc temporis ob clericalem invidiam et factiones, quae dicuntur nationales, atque schismatis Goanensis saevitiam flebilis minitabatur ruina.

Porro anno 1857 ad labefactatam restaurandam valetudinem ut Procurator Generalis Missionum sui Ordinis exterarum Romam arcessitus, an. 1860 ex S. Congregationis de Propaganda Fide mandato iterum Patnam rediit, ubi in statione Coorje an. 1866 dieque S. Fideli a Sigmaringa, Protomartyri Propagandae, quem semper impense coluit Anastasius, sacro, diuturnis pastoralibus sollicitudinibus laboribusque fractus, attritus persecutionibus, necnon et donis supernaturalibus celeberrimaque sanctitatis fama illustris ad sedes beatas transmeavit. Candidam innocentiae vestem, quam in sacro baptismatis fonte suscepit, ad extremum usque spiritum, ipso Confessario P. Antonio Maria teste, illibatam conservabat. Cuius primario in ecclesia Cathedrali Patnaënsi in communi populi coemeterio conditum corpus, anno sequente in sacellum Conventus Virginum Anglicarum Bankiporensis translatum est, qua occasione incorruptum penitus reperiebatur.

Multa milia schismaticorum Goanensium pluresque protestantes ad Ecclesiae sinum reduxit paganosque convertit. Romanae vero Ecclesiae libertatem atque unitatem, etsi ad necem conquisitus, insuperabili semper constantia eloquentiaque victrici adversus inimicum Gubernium Britanno-Hindostanicum ac Lusitanum necnon et contra

clerum Febronianismo infectum defendit.[1]) Summo quoque studio atque linguarum peritia *catechismum* (*Masihí Talim*, Bombay 1852, 1865) sermone Hindostanico triplicibus typis excusum ad catechumenos edocendos scripsit atque edidit. Unum quidem in usum Missionariorum typis Latinis exaratum, cui addidit grammaticam Hindostanicam atque lexicon Latinum-Anglicum-Hindostanicum; caeteros vero duos pro populo brahmano atque mohammetanico convertendo, primum typis Hindostanicis *(devanagari)*, alterum Persicis conscriptum, quod proinde opus a Bengalicis litoribus usque ad Persiam divulgatum est. *Versionem totius Novi Testamenti* in *linguam Hindostanicam (Urdù)* labore incredibili perfecit itemque tribus characteribus praedictis praelo subiecit *(Nayá 'Ahd- Náma Hamáre Khudáwand Yisú' Masíh.* Patna, 1864). De salute animarum et de veritate docenda semper sollicitus, non tantum libris sacris, quos gratis alumnis distribuebat et fidelibus, sed etiam Diariis id procurare sategit fundata ephemeride, quae inscribitur *The Bombay Catholic Standard* (1850) et *The Bombay Catholic Examiner* (1850), quae folia periodica non tantum pecunia adiuvabat, etsi summa egestate laboraret, sed etiam scriptis.

Ut commoditati Missionum sui Ordinis prospiceret, Kalendarium ad quadraginta annos perduraturum confecit, quo Missionarii aliique seraphicae religionis Professi extra Ordinis Provincias legitima causa et superiorum voluntate degentes uti valebant, adeo, ut oneri Divini Officii recitandi et sacrosancti Missae sacrificii offerendi tali directorio se conformantes satisfacerent.[2])

---

[1]) Cfr. Anast. Hartmann, Anomalous Position of the Vicars Apostolic in British India in Relation to the Government and the consequences civil and political of their not being legally and officially acknowleged. Bombay, George Craig (Telegraph and Courier Press), 1854. — Idem, Remarks on the Resolutions of the Government of India upon the Catholic affairs in India, 28 of February 1856. London, Burns and Lambert, 1857. — Idem, Über die kirchlichen Zustände in Indien. Augsburg, Verlag der Augsburger Postzeitung, 1858.

[2]) Fr. Anast. Hartmann, Calendarium Ecclesiasticum in usum Missionariorum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, quadraginta annos (1860—1900) complectens. Romae, Typis S. Congreg. de Propaganda Fide, 1859.

Ministerium verbi in Indiis quoque Orientalibus ubique exercuit, nam quocumque ivit, saepe ter et quater in die variis linguis concionabatur, Tunc oculi eius fulgebant, tunc incendebatur vultus atque ex omni adspectu patebat, eum ex abundantia cordis loqui. Mens eius uni Deo semper adhaerebat et quamvis tot ac tanta satagenda haberet, nonnisi coelestia recogitabat. Rm̃s P. Meuron, Superior Generalis Congregationis SS. Redemptoris, fassus est se plus una hora in Dei Famuli conversatione profecisse, quam multis diebus spiritualis exercitationis. In controversiis vero religiosis versatissimus fuisse Episcopus praedicatur. P. Ignatius Persico O. Cap., quem Anastasius anno 1854 in urbe Bombayana in Indiis Orientalibus in Episcopum suum Coadiutorem consecravit annoque 1893 Leo XIII. fel. rec. purpurato S. R. Ecclesiae Cardinalium coetui aggregavit,[1]) qua iuvenis religiosus Missionem aggrediens Patnaënsem, in epistola ad Reverendissimum P. Felicem a Lipara, Procuratorem Generalem Ordinis Capucinorum, data Bettiah, 1. Iun. 1848, Praesulem hac laude commendavit: „Nei principii di Maggio giunti a Patna avemmo la fortuna di baciar l'anello al nostro degnissimo Vicario Apostolico Mgr. Hartmann, ed essere accolti nei suoi paterni amplessi. Il nostro Vescovo ha delle qualità che difficilmente possono enumerarsi: Ei oltre di essere venerando per la sua santa vita, si rende ammirabile per la profondità di sua dottrina, e per la robustezza degli argomenti con cui confonde i declamatori della Riforma (Anabaptistas), di cui l'India purtroppo abbonda.“[2]) — De Episcopo Anastasio Hartmann anno 1906 Processus Beatificationis Ordinarius apertus est.

Disceptationem hisce edendam clarissimum hunc Praelatum habere auctorem, inconsultis iam notis internis,

---

[1]) P. Bonaventura da Sorrento O. Cap., Il Cardinale Ignatio Persico dei Cappuccini di Napoli e Terra di Lavoro. Napoli Stabilimento Tipografico Librario di A. et Salvatore Festa, 1893. — P. Adrian Imhof et P. Adelhelm Jann, Anastasius Hartmann, Luzern, Räber, 1913, 421—425. — cfr. Ign. Persico O. Cap., Vescovo di Grazianopoli e Vicario ap. dell' Indostan, Relazione sulla Insurrezione dell' India Britanna. Napoli, Stamperia del Cattolico, 1858.

[2]) Archivium Generale Ordinis Min. Capucinorum, Romae, Via Boncompagni 71.

quae genuinum produnt Anastasii characterem atque indolem, quae in multis litteris monitisque ad Missionarios eadem occurrit, ex doctissimi P. Antonii Mariae Gachet O. Cap. ex Friburgo Nuithonum, qui laudato Servo Dei per plures annos a secretis erat, testimoniis luculenter comprobatur. Ipsum quidem archetypum deperiit, ast transcriptio adhuc existit, quae ab auctoris discipulo quodam aut amanuensi confecta, propria Anastasii manu corrigebatur. Quod deinde transumptum P. Antonius Maria una cum pluribus Episcopi scriptis litterariis in unum volumen ligavit, cui inscriptionem praefixit: „Opera scientifica Reverendissimi Domini P. Anastasii Hartmann, Episcopi Derbiensis, Vicarii ap. de Patna.“[1])

Quod ad *tempus* attinet, quo opusculum hoc scriptum est, assignandi sunt anni 1841 usque ad ann. 1843, quibus scilicet spatiis Dei Famulus Romae in Missionum Collegio S. Fidelis muneris apostolici candidatis praeficiebatur atque de Theologia apologetica atque pastorali praelectiones habuit. In epistola ad M. R. P. Ioannem Damascenum Bleuel, Ministrum Provinciae Helveticae, Romae die 30. Iulii anni 1842 scripta, haec nuntiat Anastasius: „Hoc tempore praelectiones vel potius conferentias de Psychologia habeo, in quibus Theologia pastoralis speciali modo respicitur. Necessarias explicationes dictare soleo.“[2])

Quindecim porro annis postea mense Augusti anni 1858 Espiscopus Hartmann ex Indiis redux a S. Congre-

---

[1]) Tomus iste hos tractatus continet: I. *Fragmenta Cosmologiae et Geologiae.* II. *Galileus et S. Inquisitionis Officium* (cum Appendice de *Pluralitate mundi*). III. *Psychologia arti pastorali applicata.* IV. *Sulla ubbriachezza di Noë.* V. *Dissertatio de Praecepto celebrationis diei sabbati, cui auctoritate divina substituta est Dominica.* VI. *Modus inveniendi Aureum Numerum, Epactas, Annos Bissextiles, Litteram Dominicalem et Festa Mobilia in perpetuum.* VII. *De Anno Nativitatis et Mortis Domini Nostri Jesu Christi.* VIII. *Epistola ad D. Nicolas,* auctorem operis „La Vierge Marie dans le Plan divin“. Excepto numero II. et III. omnia opuscula manu P. Anastasii scripta sunt. Archivium Provinciae Helveticae, Lucernae.

[2]) „In diesem Augenblicke halte ich Vorlesungen oder besser Vorträge über Psychologie mit besonderer Berücksichtigung der Pastoral und gebe die notwendigen Winke im Manuskript“. P. Adrian Imhof et P. Adelhelm Jann, Anastasius Hartmann, Luzern, Räber, 1903, 72—73.

gatione de Propaganda Fide Procuratur Generalis Missionum Ordinis seraphici constitutus est. Quod ex hoc tempore et praeprimis durante anno 1859 Romae in Collegio S. Fidelis docuerit, ex eius litteris ad reverendissimum Dominum C. L. Buratti, Minutantem S. Congregationis de Prop. Fide, Romae die 11. Mart. 1859 expedita, elucet, in qua scribit: „L'altro giorno ebbi ricevuto la dogmatica di Monsignor Kenrick, 4 volumi, ma non già la morale, la quale si trova sul catalogo dei libri della Propaganda, e della quale avrei tanto bisogno, facendo adesso la scuola della morale."[1]) Insuper in folio, cui negotia in Audientia diei 14. Iulii 1859 coram Sanctissimo Patre Pio Papa IX. tractanda propria manu inseruit, haec leguntur: „Nullus pro Theologia vel linguis Magister vocari potuit, quare Episcopus Derbiensis praeter officii sui onera quotidie Theologiam ac Philologiam docere debuit."[2]) Nullum quidem documentum enunciat, Anastasium hoc biennio (1858—1860) de psychologia arti pastorali applicata coram alumnis tractasse, factum vero vix in dubium vocari licet, cum hoc tempore Procuratori Generali Missionum soli tota omnigenaque candidatorum, qui omnes ordinis iam sacerdotalis erant, formatio iniuncta remansit. Attamen opusculum nostrum hic edendum hoc tempore immutatum reliquit auctor. Id enim ex adnotatione ab Anastasio ipso allata elucet, ubi de Antistite Hurter ac de scriptore protestantico Kitt disserens, amanuensis verbis „*ast in neutro apparet conversionis spes*" sua ipsius manu adiungit: „*licet aliunde uterque optimis moribus, tenera pietate et virili charactere insignitus sit.*" Exemplar ergo nostrum ante conversionem Friderici de Hurter scriptum esse evincitur, iste vero die 16. Iunii 1844 Romae haeresi abiuravit. Originem ergo ducit ex tempore, quo P. Hartmann Romae in Missionum Collegio S. Fidelis Theologiae scholam vicario modo dirigebat, antequam ad apostolatum Hindostanicum ipse sese cinxit (1843). Neque in minimo annis 1858 et 1859 manuscriptum correxit.

[1]) Archivium S. Congregationis de Prop. Fide. Indie Orientali 1859—1861. Scritture riferite nei Congressi. Vol. 17.

[2]) Archivium Ordinis Min. Cap. Provinciae Helveticae, Lucernae.

Ne obiicias, conversionem Friderici de Hurter forsan Anastasium latuisse, quippe qui tam longo tempore (1843—1856) in Indiis Orientalibus moratus sit. Nam P. Anastasius vix Vicarius apostolicus de Patna renuntiatus cum neoconverso de Hurter amicitia iungi coepit. Primae enim litterae, quas ad hunc Patnâ direxit, die 27. Maii 1847 scriptae sunt. Abbatia Benedictina, vulgo Muri-Gries appellata, ex haereditate litteraria Friderici de Hurter plures possidet epistolas ab Episcopo Hartmann ad hunc Consiliarium Aulicum directas. Doctrinam suam integram proinde Episcopus qua professor annis 1858 et 59 docendo quidem probabiliter ampliavit, scripto tamen ipso certissime invariato relicto.

Dissertatio haec — si P. Antonio M. Gachet fides[1]) — nonnisi succinctum quoddam *schema* maioris a Derbiensi Episcopo compositi operis eademque suprascriptione praediti est, quod in —4° paginas 207 amplecti debet. Ast vero, ni fallor, hic nostrum opusculum cum libro Anastasii confunditur, qui inscribitur „*Manuale controversiarum ad usum Missionariorum Ordinis Capucinorum*", de quo ipse in suis litteris ad M. R. P. Ioannem Damascenum Bleuel, Ministrum Provincialem Lucernae morantem, singillatim agit. In epistola enim Romae die 31. Oct. 1841 scripta ait:[2]) „Obstupefactus penitus atque inopinatus ex ore Reverendissimi P. Ministri Generalis (Eugenii a Rumilliaco)

---

[1]) Vie de Mgr. Hartmann, Fribourg 1876, 232.

[2]) „Zum größten Erstaunen und wider alles Erwarten mußte ich aus dem Munde des Rm̃s P. Generals (P. Eugenii a Rumilliaco) vernehmen, daß ich für das Collegium der PP. Kapuziner Professor der Kontroversen sei. Die Kontroversen machen unsere Hauptbeschäftigung aus. Darunter sind aber nicht nur alle streitigen Punkte der heutigen, überklugen Ungläubigen und Irrlehrer verstanden, sondern auch der Unterricht — Catechisatio — der Heiden und Christen, die sogenannten Konferenzen, also alles, was die Theologie beschlägt. Ich hätte sehr gewünscht, diese Stelle wäre einem anderen übertragen worden, zumal sie mir ungemein viel Zeit für das Sprachstudium raubt, und ich nichts vorfinde, was ich zu Vorlesungen gebrauchen könnte. So muß ich denn wenigstens ein kleines Kompendium schriftlich abfassen, das gemäß dem Willen meiner Obern den Missionären oder den Schülern des Kollegiums inskünftig als Leitfaden dienen soll." P. Adr. Imhof et P. Adelh. Jann, Anastasius Hartmann. Luzern, Räbern 1913, 68.

me in Collegio P. P. Capucinorum professorem controversiarum designatum esse audire debui. Controversiae istae quidem hic nos principaliter occupant. Sub his vero non modo omnes doctrinae intelliguntur, quae a peracutis infidelibus atque haeresiarchis in dubium revocantur, sed et catechisatio paganorum et christifidelium, quae conferentiae dicuntur, quapropter sub controversiarum nomine omnia ac singula comprehenduntur, quaecunque de Theologia tractant. Plurimum exoptassem, ut munus praedictum alteri imponeretur, quippe quod plurimum me impediret, quominus linguas addiscerem, praeprimis cum nullum manuale, quo uti possem, prae manibus haberem. Idcirco parvum saltem compendium redigere cogor, quod — Superioribus meis sic disponentibus — Missionarii vel Collegii Alumni in posterum tamquam ducem sequentur."

In scripto deinde Romae die 20. Iulii 1842 dato[1]) prosequitur: „In novissimis litteris enarravi, praelectiones de controversiis prelo a me tradendas esse. Obedientia quidem motus consensum praebui, tamen incessanter opus indagabam, quod Missionariis nostris inservire posset. Omnis iam spes fallere videbatur, iamque dimidia controversiarium pars composita erat, ut Examinatori posteaque prelo traderetur. Ast insimul perspexi, quot vitiis

[1]) „Früher berichtete ich, daß ich die Vorlesungen über die Kontroversen dem Druck übergeben müsse. Ich willigte aus Gehorsam ein, suchte aber stets ein Werk, welches unsern Missionären dienen könnte. Bereits schien alle Hoffnung verloren, schon war die Hälfte der Kontroversen beendigt, um sie dem Examinator und hernach dem Drucke zu übergeben. Allein ich sah, wie unvollkommen meine Arbeit sei, wie viel Zeit das Ganze bis zur Vollendung des Druckes erfordere, und wie unnötig, nachdem ich in Erfahrung gebracht, daß P. Perrone S. I. ein Kompendium seines großen Werkes bearbeite usw. Ehrfurchtsvoll, aber mit Ernst und im Interesse des Kollegiums machte ich meine Vorstellungen, erneuerte dieselben und wurde glücklicherweise erhört, so daß also bloß das Manuskript sowohl der ganz ausgearbeiteten als der übrigen Kontroversen im Kollegium bleibt, um als Vorlesungen zu dienen, falls es gefällt. Niemand kann sich denken, wie leicht es mir wurde, als ich mich dieser Arbeit enthoben sah . . . . Ich konnte mich lange den Sprachen nicht widmen. Aus Gehorsam und im Vertrauen auf Gott arbeitete ich Tag und Nacht an den Kontroversen und ließ alles andere bei Seite. Die Umstände haben sich so gestaltet, daß der Gehorsam geprüft, mein Wunsch erfüllt und das Vertrauen gekrönt wurde." L. c. 72.

laboraret opus meum, quantumque temporis requireretur, usque dum absolutum impressumque esset, ac quam superfluus labor, postquam audiveram, P. Perrone S. I. synopsin ex pergrandi suo opere extrahere etc. Reverentia plenus, sed haud minus graviter obiectiones meas proferebam, quae nonnisi in Collegii emolumentum vergere potuerunt, easque iterabam felixque exauditus sum. Controversiarum Manuscriptum igitur tantum, tum ad finem perductarum, tum inchoatarum in Collegio asservabuntur, ut si placeat, tanquam manuale inservire possit. Nemo ponderabit, quanto sublevatus sim onere, quum ab hoc labore liberabar. Diu linguis vacare praepediebar. Obediens atque in Deum confidens die noctuque controversias elaborabam omniaque caetera distuli. Circumstantiae vero nunc ita dispositae sunt, ut obedientia quidem sit probata, desiderium vero impletum atque confidentia coronata.“[1])

Libellus noster a sanctissimo Praelato redactus velut *finem* intendit, Missionariis medium suppeditandi naturale quidem, sed pernecessarium omnis pastoralis successus. Ad explanandum textum huic adnotationes adnexi.

De Anastasio Hartmann ipso fusius tractant: (P. Bonifacio da Nizza O. Cap. et P. Michelangelo da Rossiglione O. Cap.), Anastasio Hartmann. Cenni biografici e Ritratti di Padri illustri dell' Ordine Cappuccino sublimati alle dignità ecclesiastiche dal 1804 al 1850, Roma, Nello Stabilimento di G. A. Betinelli, 1850, Tomo II. p. 103—106. — (P. Ignazio Persico O. Cap.), Memoria sullo Scisma Indo-Portoghese. Italia (sic) 1853. — P. Ignatius Persico O. Cap. et P. William Strickland S. I., The Goa Schism: being a Short Historical Account of the Resistance made by the Indo-Portuguese Clergy to the Institution of Apostolic-Vicariates in British India. Dublin, Gerald Bellew, 1853. — M. Th. de Bussierre, Histoire du Schisme Portugais dans les Indes, Paris, I. Lecoffre, 1854. — (P. Antony Mary Gachet O. Cap.), The Life of the Right Reverend Dr. Hartmann. The Indo-

[1]) In Collegio S. Fidelis Romano de praelaudato Compendio perquisitiones institui feci, quod vero nusquam inveniri potuit.

European Correspondence or Indian Catholic Chronicle. Calcutta, 12. May 1866 et 4. Apr. 1868. — Annales Franciscaines, Paris 1865 III 325 (Biographia parva quidem, sed magni valoris). — P. Maximus Kamber O. Cap., Sr. Gnaden P. Anastasius Hartmann, O. Cap., Bischof von Derbe und apostolischer Vikar von Patna, in seinem Leben und Wirken, Luzern, Räber, 1867. — P. Antony Mary Gachet O. Cap., The Life of A. Hartmann O. C. Bishop of Derbe, Vicar apostolic of Patna, Calcutta 1868. — P. Antoine Marie Gachet O. Cap., Vie de Mgr. Anastase Hartmann de l'ordre des FF. Mineurs Capucins, Vicaire apostolique de Patna. Fribourg, Imprimerie de St. Paul, 1876. — Ein Kapuziner-Missionär der Neuzeit. Msgr. Anastasius Hartmann. Die Katholischen Missionen, Herder Freiburg i. Br., 1875, 201—207, 221—227, 250—255. — Rm̃s P. Petrus Damianus a Münster O. Cap., Fr. Anastasius a Lucerna, Provinciae Helveticae, Episcopus Derbiensis i. p. i. et Vicarius Apost. de Patna. Bullarium Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci Capucinorum, Oeniponte, Typis Wagnerianis, 1884 X 158—161. — P. Adrian Imhof O. Cap. et P. Adelhelm Jann O. Cap., Anastasius Hartmann von Hitzkirch, Kt. Luzern, Mitglied der Schweizerischen Kapuzinerprovinz, Bischof von Derbe, Apostolischer Vikar von Patna und Bombay, Thronassistent Sr. Heiligkeit, Graf des Römischen Reiches. Ein Lebens- und Zeitbild aus dem neunzehnten Jahrhundert. Luzern, Räber, 1903. — (P. Adrian Imhof O. Cap.), Vita litteris dedita operaque scientifica Illm̃i DD. Anastasii Hartmann, Episcopi Derbiensis, Vicarii Ap. de Patna et de Bombay, Solio Pontificio Assistentis et Romani Imperii Comitis. Analecta Ord. FF. Min. Capucinorum, Romae, Curia Generalitia, 71 Via Boncompagni, 1902 XVIII 236—240. — P. Adelhelm Jann O. Cap., P. Eymard und Bischof Hartmann. Schweizerische Kirchenzeitung Luzern, Räber, 1904 337. — (Idem), Anastasius Hartmann. Eröffnung seines Beatifikationsprozesses. Der Ruf seiner Heiligkeit. Seine Beziehungen zum Schweizerischen Vaterlande. Schweizerische Kirchenzeitung, Luzern, Räber 1906 281—282, 302—304, 310—312, 365—366, 380—381, 389—390, 398—401, 411—413. — (P. Adelhelmus Jann collaborante *Advo-*

cato Consistoriali), Allahabaden. Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Anastasii Hartmann, Vicarii ap. Patnae, Ord. Min. S. Francisci Capucinorum. Articuli ad docendum de fama sanctitatis, vitae virtutibus atque miraculis. Romae, Cooperativa Tipografica Manuzio, 1906. — (P. Adelhelm Jann), Kapuzinermissionäre als Sprachforscher. Schweizerische Kirchenzeitung, Luzern 1906, 164. — (Idem), Epistola encyclica DD. Anastasii Hartmann ad universos Ordinis Missionarios. 1858. Analecta Ordinis Minor. Capucinorum, Romae 1907 XXIII 209—213. — (Idem), Reminiszenzen an Schweizerische Kapuzinerbischöfe. Neue Zürcher Nachrichten, Feuilleton, 10., 11., 12. u. 15. Sept. 1908. — (Idem), De reorganisatione Missionum Ordini Min. Capucinorum concreditarum a Servo Dei Anastasio Hartmann introducta. Studia et acta. Ingenbohl, Typis Orphanotrophii „Paradies", 1914.

Opusculorum asceticorum, quae P. Anastasium Hartmann habent auctorem, duo haec publici iuris facta sunt: „Das Kreuz des Weltmenschen und des wahren Christen oder des Verderbens und des Heiles. Einsiedeln 1856 et 1869, Ingenbohl 1895, Einsiedeln (Benziger et Cie) 1903. — „Heilige die Arbeit deiner Hände oder sittliche Erwägungen für Laienbrüder. Einsiedeln (Benziger et Cie) 1907.

Scribebam Stantii (Stans) in Helvetia,
die 2. Februarii 1914.

Editor.

PSYCHOLOGIA ARTI PASTORALI APPLICATA.

§ I. — INTRODUCTIO.

1. Officio pastorali nil datur sublimius.

Dei Filius ipsemet in propria persona Pastoris officium exercere voluit. *Ast quantum simul istud officium est difficile! Ars artium regimen animarum*, ait S. Gregorius Magnus (lib. Pastor. p. I, c. I). Quot Sancti pastoris onus sola obedientia et cum summo timore susceperunt! S. Augustinus peccatis vitae anteactae lamentans attribuit, se hoc formidabili munere oneratum esse; S. Gregorius Nazianzenus contra voluntatem a sancto patre suo Episcopo Sacerdos consecratus fugam arripuit, et nonnisi aegerrime e solitudine rediit, ut patrem in Ecclesiae gubernatione sublevaret. Quantam ideam hic Sanctus de Pastoris officio habuerit, abunde patet ex sermone suo apologetico de fuga et reditu suo.

2. *Ad artem pastoralem rite et fructuose exercendam*, praeter varias scientias, *profunda hominis notione, et, ut ita dicam, tactu quodam psychologico opus est; secus pastor licet eruditus et pius parum efficiet, imo non raro potius destruet.* Ars pastoralis, ut eam S. Gregorius Nazianzenus in suo sermone apologetico concipit, vix non tota — suppositis religionis christianae scientia et zelo — psychologiae principiis nititur. Idem S. Gregorius Magnus in tertia Pastoralium parte, et S. Augustinus in libro de catechizandis rudibus tradunt.

3. S. Gregorius Magnus postquam in duabus prioribus Pastoralium partibus ostenderat, qualis Pastor esse de-

beret, demonstrat in tertia parte, qualiter illum docere oporteat. „Ut enim," ait in Prologo, „longe ante nos reverendae memoriae Gregorius Nazianzenus edocuit: non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adstringit. Saepe namque aliis officiunt, quae aliis prosunt, quia et plerumque herbae, quae haec animalia nutriunt, alia occidunt; et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat; et medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit; et panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, ut et ad sua singulis congruat, et tamen a communis aedificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentae mentes auditorum, nisi, ut ita dixerim, quaedam in cithara tensiones stratae chordarum, quas tangendi artifex, ut non sibimetipsi *dissimile* canticum faciat, dissimiliter pulsat? Et idcirco chordae consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde et doctor quisque, ut in una cunctos virtute charitatis aedificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet."

4. Facile esset ex *historia* demonstrare, illos Evangelii praecones et pastores — caeteris paribus — plurimum fructum produxisse, qui in munere suo psychologiam prae reliquis attenderunt. Inter Apostolos, sicut in multitudine conversionum, ita in tactu psychologico eminet S. Paulus. Omnium hominum et rerum conditioni scivit sese adaptare, semper illa motiva proposuit, illas occasiones occupavit, talem agendi rationem induit, ut omnibus consideratis, effectus — quatenus ab homine dependet — sequi deberet. Quid S. Augustinus in causa Donatistarum, S. Franciscus Salesius in conversione Calvinistarum Sabaudiae, S. Vincentius a Paulo etc. non praestiterunt, isti profundi cordis humani cognitores?

5. Quanti momenti sit, cordi hominum studere et attendere ad quoslibet, saepe prodigiosos et omnem computum excedentes effectus obtinendos, *ipse mundus* nos docet. Hac arte Absalom Israël in suas partes traxit (II. Reg. XV), aulici regem gubernant, astuti quod volunt ab aliis acquirunt. Si animarum pastores tanta

sollicitudine et dexteritate arte psychologica uterentur, quantum id faciunt seductores, brevi terrae facies immutaretur. Ast eheu! quot animarum pastores, qui in privato et publico potius omnia faciunt, ut hominum corda a se elongent, qui inter diversas fidelium classes non distinguunt, omnibus eadem dicunt, medici instar omnibus eadem remedia praescribentis, qui tempus discernere non valent, quando loquendum et tacendum, quando indulgendum et corripiendum, quando leniter cor mulcendum et terrore configendum sit!

§ II. — COGNITIO HOMINUM PSYCHOLOGICA.

6. *Ad artis pastoralis essentiam spectat profunda et omnimoda hominis cognitio, quae studio sui ipsius et aliorum observatione obtinetur.*

Studium sui ipsius quovis tempore sapientium praecipua erat occupatio. Notum est illud S. Augustini, quod post ipsum tot Sancti incessanter in ore et corde habuerunt: *Deus meus, noverim me, noverim Te!* Ex sui ipsius intima cognitione habetur hominis cognitio; quare etiam sub hoc respectu valet sapientis effatum: *Intellige, quae sunt proximi tui, ex temetipso* (Ecclesiasti. XXXI, 18). Omnibus enim eadem est natura, omnes filii sunt Adae lapsi, qui illam continuam pugnam spiritus et carnis in se experiuntur, proclives ad malum, sibimetipsis periculosi, quorum affectus in servitio egoismi sunt.

7. Homo in se idem, in manifestatione sua tantum differt. Prodigalitas et avaritia, superbia et adulatio, libido et iracundia, aliaeque passiones sunt unius eiusdemque lapsae naturae manifestationes, egoismi filiae. Variae causae atque occasiones tum physicae tum morales efficiunt, cur potius hic quam ille affectus in aliquo nidividuo praedominetur, cur potius talem quam aliam formam induat. His hominis libertas haud negatur, a qua affectuum manifestatio plurimum dependet; hominis enim est iis dominari eosque ad rationis et fidei dictamen gubernare. Sed licet quis serio studeat affectuum suorum dominus esse, ac ad eminentem virtutem pervenerit, sentiet nihilominus pugnam, sustinebit ten-

tationes non raro gravissimas; vicit quidem hostes, sed non est in pacifica victoriae possessione; nec minus est nos eos tenere subiectos, quam eos vicisse. Deinde nullus mortalium reperitur, qui non, saltem in quibusdam levioribus, saepius vinceretur, quin etiam post multos annos ab iis totaliter se liberare potuerit. Tandem quis est, cuius affectus non vehementius in certum obiectum, honestum aut malum, sanctum aut profanum feruntur? Unde ex intima sui ipsius cognitione facile obtinetur profunda hominis cognitio. Hinc solvitur aenigma, alias insolubile, quod quovis tempore in aliorum directione et in Ecclesiae regimine eminuerint, qui vitam absconditam ducentes sibi soli intendebant. In se enim prius mundum experti sunt, mundo studuerunt et vincendi artem didicerunt; postea in altum positi, mundum magnum ex mundo parvo cognoscentes, eum scite et feliciter rexerunt.

8. Praeter sui ipsius cognitionem requiritur aut saltem plurimum facit *aliorum observatio*. Licet enim omnes eamdem habeant naturam eosque affectus capitales, teste tamen experientia haec natura, hique affectus adeo in manifestatione sua externa uti hominum facies differunt. Quid enim clima, temperamentum, educatio, cultura, religionis genius, consuetudo etc. etc. non faciunt? Nec homo sibimetipsi est constans, aliter in iuventute, aliter in matura aetate, aliter ut senex sapit, aliter sentit aut saltem dispositus est favente fortuna, aliter fortuna sinistra. Quae unam nationem, societatem, familiam, personam movent, aut in talibus circumstantiis moverent, in aliam nationem, societatem, familiam, personam, aut in aliis circumstantiis nil efficiunt. Priusquam ergo cum illis agendum est, praeprimis in re omnium gravissima et difficillima, qualis est hominis conversio et spiritualis directio, quis eorum characterem, indolem, individualitates cognoscere studeat. *Historia* quoque maximum praebet subsidium; ostendit enim quali methodo et successu alii in similibus causis egerint.

Principii instar tenendum, pro felici cura animarum tum nostri tum aliorum summam nobis comparandam esse cognitionem et hanc nunquam posse esse nimiam. Agri-

cola soli individualitatem et plantarum naturam, artifex materiarum, ex quibus fit artefactum, proprietates, medicus intimae corporis constructionis, morborum ac medicamentorum cognitionem habere debet; secus parum aut nihil efficiet, imo facile summum causabit damnum.

§ III. — MISSIONARII DOTES.

9. Juxta S. Gregorium Nazianzenum haud dignus est pastoris officium occupare, qui virtute sua non tanto superior est communi hominum natura, quanto spiritus superior est corpore. Sacerdos enim omni vitio carere debet, quia quod in privato vel parvi momenti est, satis periculosum fit in pastore, cuius defectus facilius populus imitatur, quam omnes eius virtutes. Sacerdos, qui mediator inter Deum et homines esse debet, omnes passiones subiugatas, bellum inter carnem et spiritum, quantum in hoc corruptionis statu licet, extinctum et cor divinorum oraculorum igne accensum habeat etc. (Orat. superius citat. Conf. S. Greg. Mag. lib. Pastor. p. 2). S. Petrus Apostolus animarum pastorem, a fortiori Missionarium, vult esse formam gregis ex animo (I. Ep. V, 3); S. Paulus iubet eum in omnibus irreprehensibilem esse (I. Tim. III, 2). Superfluum foret per multa demonstrare, quod ab omnibus viris gravibus semper fuit agnitum. Sufficiat praecipuas Missionarii dotes paucis indicasse.

10. *Omnes Missionarii dotes tales sint, ut sibi maximam aestimationem et dilectionem conciliet;* quamvis nec unam nec alteram affectare aut mendicare debeat, secus certo neutram acquiret. Missionarius tali aestimatione et dilectione fruens, facillime id efficiet, quod alius vix summa difficultate obtinet. Mendacii apostoli et veritatis hostes coram ipso comparere aut nullatenus audent, aut tantum animo collapso sinistroque successu; e contra dicta sua singularem energiam habent, summa docilitate audiuntur, citius tardiusve fructum producunt. Aestimatio et dilectio sunt vires incredibilis potentiae ac in movendis hominibus idem, quod vectis in movendis molibus. Missionarius ergo talis sit, qui sub omni respectu summam aestimationem et dilectionem mereatur. Hinc

11. *Missionarius ab hominibus sibi iure subditis, ab affectibus minus ordinatis, a mundo adulante aut persequente independens sit.* Aestimatio multum damnum patitur, quando quis ab aliis serviliter regi permittit, quos ipse regere deberet, seu quando sibimetipsi ligavit manus, ut illos pro officio suo tractare non valeat, vel non audeat. Idem accidit, si ad certas commoditates, sensualitates et obiecta plus iusto est affectus. Homines enim de sacerdote, praeprimis de Missionario, qui e longinquo venit, naturaliter magnam habent ideam, et eum omnibus mundanis rebus ac affectibus exutum credunt. Nihil tamen adeo eiusdem aestimationem apud ipsos auget, vel diminuit, quam sua agendi ratio in negotiis aut conflictu cum mundo; quo plus mundum spernit, eo maior sua aestimatio est, et vice versa. Missionarius proinde nunquam mundi negotiis se immisceat, nec eius applausum, vituperium vel persecutionem curet; his omnibus superiorem se probet, ad exemplum S. Pauli et tot SS. Pastorum. Totus suae vocationi vivat, sollicitus, ut magna idea, quam de Missionario apostolico non solum fideles, sed et ipsi neophytae, imo haeretici et pagani habent, vera sit. Saepe accidit, quod Missionarius, quo plus cognoscitur, eo plus in aestimatione cadat. Contrarium esse deberet, ut quo plus cognoscitur, eo plus aestimetur, quod fiet, si in ipso omnia sunt veritas, idest omnia viro Apostolico et ministro Regis regum correspondeant.

12. *Missionarius bene sibi caveat a scrupulositate aut a laxitate;* unum et alterum suam pessumdat aestimationem, quantumcumque alias sit exemplaris. — *Scrupulosus* ad homines omnis classis, conditionis, educationis regendos ineptus est. Aut enim decidere non audet, aut onera importabilia imponit, aut conscientias nimis stringit etc. Quare alii ab ipso recedunt, alii etiam in rebus gravissimis eum non audiunt, multi se convertere negligunt. Quae a scrupuloso vera et iusta dicuntur, minorem auctoritatem faciunt; adversarii, praeprimis Pseudo-Missionarii, opportunam occasionem habent, fideles ad se attrahendi aut alios ab amplectenda fide catholica abhorrendi.

Aeque autem absit *laxitas.* Nam praeter quod Missionarius non sit dominus, sed minister veritatis et dispen-

sator mysteriorum Dei, per laxitatem suam opus Dei, salutem proximi ac suam propriam aestimationem destruit. Natura enim docet, verbum, quod divinum esse creditur, ut limpidam veritatem suscipere; quare apud homines veritati studiosos aestimatione excidit, qui verbum Dei in alium sensum torquere, aut mundo adaptare deprehenditur. Talis laxista forsan placebit, sed quantum aestimationem suam perdat, patet, quod si de seria conversione agatur vel ipsi depravati potius omnem alium, quam eum adeant.

13. Parum est Missionarium aestimari, si non *characterem amabilem* induit. In eo Christi dulcedo et mansuetudo elucescant, cum Apostolo Paulo omnium se servum praebeat, non distinguens inter divites et pauperes, nobiles et ignobiles, sapientes et ignorantes, cultos et incultos. Nullum tempus, ubi non sit accessibilis; nulla spiritualis necessitas, cui succurrere non sit promptus. Sciat gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; omnes in corde suo portet, omnium bonum sincere quaerat; in omni actione, sive doceat, sive corripiat, sive indulgeat, sive puniat, aperte ostendat, se unicam Dei gloriam singulorumque salutem quaerere ac sperare. Unde *ipse in omnibus et omnes in ipso vivere debent.*

14. *Missionarius haud solum exterius talem se exhibere debet, ut aestimetur ac ametur, sed interius revera talis sit.* Existit enim quaedam mysteriosa spirituum communicatio, quae non minus activa, quam inexplicabilis est. Uti enim anima in oculo et vultu se quasi visibilem reddit et foras prodit, sic in verbis, in gestibus, in tota agendi ratione se manifestat. Natura naturam, spiritus spiritum intelligit, et natura ac spiritus veritatem quaerunt. Ubi veritas non intus est, invisibili alterius spiritui se communicare nequit. Ubi ergo in Missionario non ea sunt, quae eum vere aestimabilem ac amabilem reddunt, ipse nunquam aestimationem et amorem sibi necessarium acquiret, quantumcumque id affectaret. Hanc mysteriosam hominum spiritualem communicationem quivis bene attendat, ac proinde studeat in veritate esse, quod videri vult, et reipsa in praxim deducere, quae alios docet. Neque ideo, quia aliqui sunt idiotae aut conditione sua

caeteris multo inferiores, eos fas est postponere aut minori affectione et sollicitudine amplecti. Licet enim in caeco quasi palpent, quamdiu vis homogenia seu affinis omnino ab illis est remota, statim tamen, uti haec vis illis propius accedit, eam sentiunt, ad eam se vertunt, ei fortiter adhaerent, sicut acus ferrea cuspidi insidens, cui admovetur magnes.

§ IV. — HISTORIA HOMINIS PSYCHOLOGIA.

15. Homo divino spiraculo vivificatus, ad Dei imaginem factus, totius creationis est corona. Ante lapsum natura homini, homo Deo in summa subordinatione et cum maxima promptitudine obedivit. Deus hominis centrum et finis fuit; mens et cor in Deo delectabantur; mens in cognitione Dei, et cor in amore Dei.

16. *Homo cecidit superbia et sensualitate.* Voluit enim esse sicut dii et ad fructum vetitum manus extendit. Unde in homine duo vitia radicalia, superbia et sensualitas. Omnes affectus hominis lapsi in duplicis huius vitii servitute sunt, et inde omnia vitia fluunt, seu potius variae formae et expressiones superbiae et sensualitatis sunt.

Per peccatum homo seipsum centrum et finem constituit; Dei loco se substituit: inde egoismus seu inordinatus sui ipsius amor, quo nil facilius, vel periculosius offenditur, nihil difficilius, nihil rarius sanatur. Egoismus saepe exiguus est et vix mussitare audet, si tamen habenas sentit laxatas, moderamen nescit, omnia subiectionis vincula rumpit, et se aliorum dominum et quasi Deum constituit.

17. *Ex hominis lapsu sequitur concupiscentia carnis adversus spiritum, et praepotentia carnis super spiritum.* Per peccatum nihil in homine fuit deletum; sed caro praevaluit adversus spiritum, inferius adversus superius. Hinc hominis erubescentia, pudor. In carnis enim dominatione confunditur spiritus, utpote qui iura sua tueri non valet, sed servit servo suo. — Quando spiritus super carnem vincit eique dominatur, homo non erubescit; idem contingit, si spiritus seu divinum in homine quasi totaliter est extinctum, et caro absolutum habet domi-

nium. Unde patet, cur post primos hominis lapsus tanta sit erubescentia, minor autem post frequentiores relapsus.

18. *Homo e centro suo excidens et in carnis servitutem redactus, necessario omnes facultates superiores habet debilitatas et inferiores dominantes.* Mens spiritualia et divina difficulter intelligit, sensus pro iisdem gustum perdidit, voluntas in inertia sepulta iacet. Quare doctrina, motivis et viribus superiores facultates excitari, animari, adiuvari debent. Huc tota salutis oeconomia tendit. Quali enim coelesti doctrina hominem non illuminat! Quam fortia sunt motiva, quae suppeditat! Et vires nonne plane sunt divinae, gratia scilicet et sacramenta, quibus nobis succurrit?

§ V. — PRINCIPIA GENERALIA.

19. *In homine lapso egoismus praedominatur*; paucos invenies, qui eum totaliter vicerunt. *Egoismus seu amor proprius citra gravissimam rationem non irritandus, non offendendus est.* Difficile aut neutiquam in hominem aliquid efficimus, cuius amorem proprium imperitia aut imprudentia semel laesimus. Amor proprius variis modis laeditur: si alios iusto minori respectu tractamus, si ut domini imperiose cum iis agimus, si eos ad singula corripimus, si publice arguimus, quod in privato aeque bene fieri potuisset, si eorum acta in peiorem partem interpretamur, si nonnisi mala, nihil autem boni in iis videmus etc. Quare, generaliter loquendo,

20. *Omnibus magnum honorem exhibeamus debitumque respectum.* Qui aetate et dignitate honorabiles sunt, ut patres, caeteros ut fratres suscipiamus. „*Seniorem ne increpaveris,*“ ait S. Paulus (I. Tim. V, 1—2), „*sed obsecra ut patrem; iuvenes ut fratres; anus ut matres, iuvenculas ut sorores, in omni castitate.*“ *Urbanitas* in ministerio sacro est res maximi momenti; verbo enim gratiae saepissime aditum pandit, duriora, quae interdum dicenda sunt, mitigat, omnium corda attrahit, et quo vult dirigit. „*Discite a me,*“ dixit Christus (Matt. XI, 29), „*quia mitis sum et humilis corde.*“ In urbanitate, inter alios eminuit S. Franciscus Salesius cum incredibili animarum lucro.

Ad urbanitatem etiam spectat, nostram auctoritatem alios sentire non sinere, quamdiu religionis et proximi bonum id haud exigit. Ideo omni charitatis affectu et humili condescensione eos precari expedit, ut suo fungantur officio. Plurimum mulcentur, si obsecrantur ad id, quod sciunt ex auctoritate sibi praecipi posse. Virtutes, vitia ac officia ita proponi debent, ut nos soli ministri et praecones Dei ac veritatis appareamus. Hinc quae docemus, ratione ac revelatione ita probanda et explicanda sunt, ut de officio suo ac divina voluntate quisque intime sit convictus. Quo maiorem enim quis auctoritatem habet, et quo minus eam citra officii sui dispendium sentire facit, eo plus efficiet. Homo optime regitur, si ita auctoritate regitur, ut ipsa auctoritas non sentiatur; nam egoismus auctoritati non libenter se subiicit.

21. *Saepius dissimulandum et indulgendum est.* Amor proprius etiam in perfectioribus continuam correptionem non fert. Qui semper corripit et singula corrigit, testatur se proprium cor ignorare, ac nescire, quanta difficultate inter tot tentationes et dominante contraria consuetudine vitia et defectus deponantur. Impatiens Missionarius, qui brevi tempore omnes vult esse perfectos, et nimis semper insistit, animum frangit et frequenter omnia pessumdat. Unde datur tempus tacendi, dissimulandi, indulgendi. Prudens silentium fortiter praedicat et delinquentem, qui dissimulationem Missionarii aliunde zelosissimi et vigilantissimi videt, facilius ad se reducit. Hanc in rem videatur S. Gregorius Magnus in 3. parte Pastoralium. Si tamen aliquibus pro officio correptio facienda sit, ea fiat in privato ad Evangelii praescriptum. Tunc solum coram aliis quis corripiendus est, si privata saepius facta admonitio infructuosa mansit, aut delictum delinquentisve perversitas omnino publicam correptionem exigit, ut scandalum reparetur, et caeteri timorem habeant. Regula tamen semper erit, nemini citra necessitatem confusionem faciendam esse; unde in privata et publica correptione prorsus omnes evitentur ironiae, sarcasmi, exaggerationes etc. Quod de individuis dictum est, a fortiori pro communitate valet. Ideo diebus, quo extranei praesentes

sunt, ordinarie publicae illae correptiones in ecclesia omittantur.

22. *Cavendum ne acta in pessimam partem interpretentur.* Teste enim experientia, multa in abstracto aut iuxta nostrum sentiendi modum valde vituperanda sunt, quae tamen in concreto, aut in agentis opinione haudquaquam adeo mala habentur. Quantum ergo offenditur, qui omnibus consideratis parum deliquit, aut saltem non ex malitia egit, imo ob varias circumstantias ex parte excusabilis est, et tamen pessime iudicatur? Etiamsi certi de delicti in concreto considerati enormitate simus, id tamen quantum licet excusemus. Sic Christus excusavit Judaeos eum crucifigentes. Idem fecit S. Petrus, Judaeis deicidium quidem obiiciens, ut peccati enormitatem sentirent, quod vero crimen eorum ignorantiae attribuit, ut facilius compungerentur (Act. Apost. III). Iuvat delinquentium bona agnoscere, laudare. Nemo enim tam perversus, qui non aliquam bonam qualitatem haberet. Talis agnitio et laus amorem proprium ex correptione forsan offensum lenit mulcetque; tollit etiam praeiudicium, quasi nonnisi alterius mala videamus, eum non sincere amemus, et pessime de ipso sentiamus. S. Paulus, in Epistolis, praeprimis in utraque ad Corinthios, quae laudabilia sunt, edicit, ut ad correptionem aliquantum duram eos melius disponat.

§ VI. — PRINCIPIORUM GENERALIUM CONTINUATIO.

23. Egoismus semet, ideo et proprium interesse quaerit. Quare *praecipua ars pastoralis est, hominem semper in suum trahere interesse.* Evangelium ipsum hac in re est exemplum; Christus et Apostoli non simpliciter praecepta dant, sed rationes et motiva subiungunt, quae hominem interessatum quam maxime movent. In Veteri Testamento hoc adhuc plus patet, praeprimis in libro Deuteronomii. S. Scriptura nominatim promissionibus corda ad virtutem et pietatem animat. Quae promissiones in V. T. pro homine carnali bona potius temporalia, in N. T. autem pro homine spirituali bona aeterna continent.

Hunc in finem homini sua exponatur dignitas, in qua conditus fuit, ex qua per peccatum excidit, sed gratia Iesu Christi eam iterum, imo maiorem recuperavit. Homo enim ad Dei similitudinem creatus, pro Deo destinatus, paulo ab Angelis minoratus, per Christum divinae naturae consors factus, in filiorum adoptionem assumptus, vivum Dei habitaculum constitutus, manna coelesti nutritus, sanctissimis Sacramentis sanctificatus, exspectat felicitatem ineffabilem, regnum aeternum. Omnia Evangelii praecepta et consilia, tota religio hominis felicitatem intendunt, et dare apta sunt. Econtra, peccatum, mundus, caro dum blandiuntur, ut serpens seducunt, mordent, occidunt. Oculi ergo aperiendi sunt, ut homo omnia bona et mala rite cognoscat, et quantum ea sibi ipsi bona vel mala sint, bene intelligat. Quare praedicatio non in sic dicta moralisatione consistit, sed in ostensione, quod et quomodo Evangelium cum omnibus doctrinis suis sit faustus et acceptissimus nuntius. *In vitia irrumpendum, non in vitiatos;* peccatores quidem terrendi sunt, magis autem attrahi debent.

24. *Quivis certum affectum, sive bonum sive malum, habet, necnon virtutem aut passionem praedominantem, cui omnia, tamquam centro et fini, subordinat.* Inordinatus autem affectus, inveterata passio difficillime tollitur. Propterea *arte singulari* seu *quadam opus est astutia, ut affectus inordinatus ab obiecto vitioso in obiectum bonum et huic affectui correspondens transferatur, ac proinde ut ordinetur.* Porro neminem latet, nos nonnisi bonum appetere; ast nimis frequenter in bonum apparens, bonum illusorium ferimur. Quare iuxta supra dicta (N° 23) bona et mala, seu bona genuina et bona illusoria in vera sua ac intima natura clare ante oculos poni debent. Insuper ostendatur oportet, datum bonum apparens, idest vitium, e diametro iam in ipso actu, sive in sequelis hominem iis privare, quae in ipso quaerit, et consequenter pessime sibi illudere. Ex altera parte verum bonum praedominanti affectui correspondens tali modo proponatur, ut palpabiliter appareat, id, scilicet virtutem priori vitio oppositam, sub omni respectu tum temporaliter tum aeternaliter multo abundantius et modo creaturae ratio-

nali digno omnia praestare, quae ex. gr. avarus, honorum cupidus etc. appetit. Sic Christus avaris veras ostendit divitias, honores concupiscentibus humilitatem ceu medium infallibile proponit, delicias quaerentibus convivia aeterna promittit, etc. etc.

25. *Sicut quivis homo praedominantem habet affectum, ita etiam partem habet, ex qua est accessibilis, et partem, ex qua est inaccessibilis.* Proinde si hominem movere velimus, cognoscamus illam partem, ex qua maxime accessibilis est.

Ad hominem movendum, ordinarie non magna requiruntur, sed parva sufficiunt. Parvis enim a prudente maxima obtinentur, ab imprudente maxima perduntur. Signum benevolentiae e. g. saepe sufficit, totum alterius cor in nostram redigere potestatem. Idem valet, si tempus et circumstantias bene intelligimus, in quibus et quid loquendum sit: „*Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo* (Prov. XXV, 11).“ Plurimum huc faciunt certae et scite electae actiones inexspectatae, quae quamdam singularem magnanimitatem, heroismum christianum etc. produnt. Nam alterius mens, attentio et reflexio fortissime uno ictu excitantur, optimaque proposita ineunt, antequam affectus egoisticus seu vitiata natura agere aut dominari incipit. Talis actio est e. g. si ei, qui iniuriam summam nobis intulit, extraordinarium charitatis actum exhibemus.[1])

26. *Fortiter ac intrepide standum, quoties de religionis veritate, de muneris nostri officio agitur;* veritas et officium in se iustificantur, ergo dummodo aliis clare ob oculos ponantur, pro se satis fortiter aliis loquuntur. Nostrum proinde est, qui veritatis sumus praecones, et Dei ministri, ex parte veritatis et officii intrepide stare, non aliter ac minister potentissimi regis coram minus potente rege intrepide staret, licet hic rex legationem aegre susciperet aut iratus deiiceret. Intrepiditas, fortitudo, et immobilitas, ubi de officio agitur, stupendam in aliis faciunt impressionem, incredibiles producunt effectus. Necesse

---

[1]) Exemplum mirandum vide apud P. Adr. Imhof et P. Adelh. Jann, Anastasius Hartmann, Luzern 1903 120—122, 139—140.

autem est, impartialem se exhibere; secus quis cum veritate et officio ad arbitrium agit, se non praeconem et ministrum fidelem probat, sed quasi dominum constituit; proinde stat sine fundamento, aestimationem perdit, veritatem prodit, officium venale habet.

Veritatem et officium contra imbecilliores ac despectos urgere, et intrepidum se ostendere, nihil magni est et saepe a quodam sinistro vel egoistico affectu provenit, parvumque effectum producit. Sed veritas et officium contra potentiores et honoratiores urgeantur, ut nulla sit personarum acceptio et ut revera Missionarius nonnisi fidelis veritatis praeco et officii minister appareat. Tunc omnes respectum habebunt. Intrepiditas nostra contra unum honoratiorem aut potentiorem omnibus salutarem imprimit timorem. Ipsa natura expostulat, ut qui prae caeteris eminent, prae caeteris bonum exemplum dent; et quia in casu transgressionis prae caeteris scandalum dant, prae caeteris corripiendi sint.

27. *Principiis bene invigilandum et fortiter resistendum est:*

«Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.»

Principium hic in duplici sensu sumitur, principium *ratione rei*, et principium *ratione personae*. Principium ratione rei est recens e. g. religionis introductio in aliquo loco, apud aliquem populum, nova aliqua societas, ordinatio, lex. Principium ratione personae designat primas transgressiones, quas quis facit. In utroque casu principiis obstandum est, secus tota res perdida erit. Sub principio malum cum quodam timore, cum magno conscientiae remorsu perpetratur; ideo adhuc facilius resisti potest. Si sub principio non resistitur, timor cessat, conscientia hebetior fit, affectus in malum roboratur. Remedia fortissima saepe nihil amplius efficiunt, ubi ab initio levissima suffecissent. Moyses et Petrus contra delinquentes energice egerunt!

Maiori energia et rigore agendum, quando pauci, quam si plurimi et fere omnes delinquunt. Cum multitudine delinquente caute et indulgenter procedendum. Id quod Ecclesia semper observavit; sic in primis saeculis delicta

multo durius punivit, quam post generalem morum depravationem. Inter alias rationes etiam haec est, quod si pauci delinquunt, multitudo stat pro officio et iustitia, ergo etiam pro executore officii; contrarium obtinet, si multitudo delinquit, quae licet corrigenda sit, non inutiliter irritari debet. Idem dicendum quoad hominem, qui non perversus, neque totaliter peccato venundatus est; cum tali licet maiori energia agere, quam cum homine, in quo vitium iam altera natura evasit. Si enim hic uti infirmus agonizans durius tractaretur, exspiraret, id est, medicinam non sustineret et de conversione sua desperaret.

§ VII. — QUALITER CUM NEOPHYTIS AGENDUM.

28. Neophyti singularem Missionarii sollicitudinem exposcunt. *Neophytis accenseri possunt omnes, quorum parentes seu antecessores intra unum aut duo saecula ex paganismo ad christiana castra transierunt.* Nam quoad culturam adhuc quasi in infantia sunt. Quot deinde Europaeos in Missionibus transmarinis reperies, qui in fide adeo parum instructi et obfirmati sunt, ut ceu Neophyti tractari debeant! Quare quae in sequentibus de Neophytis dicenda veniunt, generaliter omnibus applicari possunt.

29. *Instructio sit catechistica et homiletica.* Conciones raro habeantur. Missionarius studeat simplicitati et claritati. Quo simplicior et clarior instructio, eo aptior et utilior erit. Omnis Missionarii eloquentia sit, Christi et Apostolorum simplicitatem imitari; illud S. Pauli sibi praeprimis dictum sciat: „*Misit me Christus . . . evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi . . . Et ego, cum venissem ad vos, fratres, non veni in sublimitate sermonis aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum . . . Et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (I. Corinth. I, 17 et II, 1—2, 4)." Numquid Corinthii sermonem ad rhetoricae artes compositum capere non valuissent?

In instructione catechistica et homiletica Evangelii doctrina, fidei dogmata brevibus et obviis argumentis probentur; maxima cura in eo ponatur, ut neophyti genuinam ideam de fidei articulis, de morum praeceptis, de pietatis natura etc. habeant. Quaestiones ad fidem et pietatem parum vel nihil conferentes, nec non fidei et pietatis profundior evolutio et sublimior pertractatio, seu ut alii volunt, theologia mystica, quae nonnisi in fide obfirmatioribus et in pietate perfectioribus convenit, totaliter omittantur, iuxta exemplum S. Pauli, qui Corinthiis scribens ait: „*Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis* (I. Cor. III, 1—2)." Teste experientia Missionarius mediante simplici catechismo rite et cum unctione explicato plurimum producit fructum. Fidei enim veritates hoc singulare habent, ut si menti et cordi profunde sint impressae, virtute sua superna hominem efficaciter a quovis peccato retrahant et ad Deum potenter perducant. Non est necesse, ut istae veritates intelligantur, sed tantum ut fortiter credantur et semper ante oculos versentur. Imo fidei veritates singulae adeo mirabilem habent vim, ut quaevis ex se apta sit ad totum hominem convertendum. Quare neophytis Missionarius non dicat multa, sed multum.

30. Ritus sacri Religionis nostrae, ut ex Missionum annalibus constat, praecipuam in neophytos faciunt impressionem. Unde *Missionarius curam habeat sacros ritus ad Ecclesiae praescriptum omni, qua fieri potest, solemnitate, aedificatione atque unctione peragere.* Ritus isti Dei maiestatis ac mysteriorum nostrorum sublimitatis sunt expressio, spirituale cultus interni corporaliter apparet in cultu externo. Quare ritus sacri ut corpus considerari possunt. Si Missionarius ritus sacros sine devotione ac pure mechanice peragit, istud corpus manet mortuum; si eosdem ritus luride, contra rubricas facit, tunc fit quaedam caricatura: in utroque casu sequelae sunt pessimae. Nam in primo casu fideles imbecilliores religionem ut quemdam mechanismum, cuius essentia in externo consistit, habent. In altero autem casu religio vera redditur ridiculosa, atque

omnis pro mysteriis reverentia suffocatur. Propterea Missionarius summe studeat, per exactissimam rubricarum observationem et vivam pietatis penetrationem ritibus sacris vitam, spiritum, unctionem tribuere. Missionarius rituum litteram et spiritum perfecte exprimens, religionis ac pietatis ignem in aliis accendit, maiorem reverentiam mysteriis conciliat, et religionem efficacius praedicat, quam ullo sermone et eloquentia efficeret.

31. *Missionarius erga neophytos praecipua indiget patientia:* frequenter enim hebetes sunt, et eadem ipsis centies dici debent. Hic et nunc, ob simplicitatem suam religionisque fervorem, importuni fiunt; quam importunitatem solus affectus maternus et animarum zelus sufferre scit. Qui neophytos saepe importunos frigide a se repelleret, aut impatienter sustineret, eorum affectionem cum magno salutis ac ipsius religionis damno perderet. Relatio inter Missionarium et neophytos est illa inter matrem et prolem; unde matris affectus, patientia, character induendus est. Egregie Christus exemplo praeluxit, qui parvulos ad se convocans, dixit: „*Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum Dei* (Luc. XVIII, 16)." Infantia fidei et Ecclesia nascens semper peculiarem sollicitudinem exigunt. Missionarius proinde se in vivum sacrificium offerat et revera omnibus omnia fiat, omnium se servum faciat, ut plures, imo omnes salvet. Taedio vel impatientia tentatus, eo quod semper eadem dicere debeat, nec pro voto successum videat, perpendat animae pretium, pro qua mortuus est Christus. Ubi de animarum salute agitur, nulla difficultas timeri, nullum medium negligi debet. Nil datur praestantius, quam animas Deo lucrari. Hanc veritatem Missionarius semper alte habeat menti impressam, diu noctuque eam pervolvat, et nihil amplius sibi difficile aut fastidiosum erit. (Conf. S. Augustinum de catechizandis rudibus.)

32. *Missionarius ab omni specie mali sibi caveat.* Apud neophytos scandala facile dantur, et quis malum remediabit, si a Missionario processit? Neophyti sunt isti parvuli, de quibus Christus ait: „*Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum*

maris. Vae mundo a scandalis . . . Vae homini illi, per quem scandalum venit (Matth. XVIII, 6—7)." Non est hic tam sermo de actione in se peccaminosa, quam potius de tali actione, in se quidem licita, quae tamen pusillis, ac proinde neophytis, spiritualis ruinae fit occasio; de hoc scandalo Paulus in epistolis ad Romanos (cap. XIV) et ad Corinthios (I. ep. c. III et X) agit. Quantum tale scandalum voluerit emendatum, emphatice dicit: „*Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum . . . Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est* (Rom. XIV, 13—14). *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem* (I. Cor. VIII, 13)." Equidem si actio est licita, neophyti praeveniri possunt opportuna instructione, ne scandalum sumant. At saepe saepius actio talis est, ut rationes nostras propter imbecillitatem suam, aut nativos mores contrarios etc. haud capiant, aut non satis attendant. Tunc a tali actione non necessaria abstinendum. Omnia equidem ista licent, et inter fideles obfirmatos, inter homines cultos, inter Europaeos sine scrupulo fieri possent, sed in datis circumstantiis non expediunt. „*Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant. Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius* (I. Cor. X, 22-24)." Inde ad evitandum scandalum saepe moribus populi, quocum vivimus, nos conformare debemus, quantumcumque id avitis moribus et inclinationi sit contrarium, haud raro utique ad magnam sensuum mortificationem; ast proximi salutem, evangelii progressum nihil impediat, omnia potius promoveant.

33. Neophyti, quibus Missionarii praesentia continua adeo necessaria foret, ordinarie longo tempore sacerdote privantur, et nonnisi per intervalla eum vident. Interea triplicem hostem, carnem, mundum, ac diabolum experiuntur. Quapropter *Missionarius praecipue praeter pietatis seu orationis scutum, magno Dei timore et puritatis amore cor armabit.* Dei timor quaevis peccata impedit, omnes adiuvante gratia tentationes superat. Alte ergo neophyto imprimatur Dei omnipraesentia, omniscientia, omnipo-

tentia, sanctitas et iustitia. Haud opus est quarumlibet virtutum momenta, singulorum officiorum gravitatem exponere, actiones, motiva, et peccatorum sequelas specificare. Sufficit illis Dei timorem omni sollicitudine instillasse, id quod in aetate Patriarcharum videmus, ubi genus humanum adhuc in infantia fuit, id et piae matres erga suos practicant infantes.

Praeter Dei timorem Missionarius studeat *castitatis sensum* neophytis pro viribus inspirare, ut templum Dei sanctum custodiant et quilibet sciat *vas suum possidere in sanctificatione et honore* (I. Thessal. IV, 4), sicut decet sanctos. Haec virtus non solum praecipuum servorum Dei semper fuit ornamentum, et praeprimis in Ecclesia nascente eminuit, sed singularis gratiae divinae virtutumque est custos; mundos corde prae reliquis Deus interne illustrat, sanctificat, protegit, speciali favore prosequitur. Ubi castitas regnat, omnes virtutes prosperantur, faciles fiunt et jucundae.

§ VIII. — QUALITER CUM HAERETICIS AGENDUM?

34. *Ad haereticos convertendos praerequiritur exacta non solum haeresis, cui addicti sunt, sed etiam sectae ac praecipue individui respectivi cognitio quoad indolem, praeiudicia, culturam, spiritum* etc. Hic nonnisi notiones generales dare licet, speciales quivis Missionarius in loco, quo simul cum haereticis et inter haereticos est, sibi comparare habet. Multum differunt haeretici orientales ab occidentalibus. Orientales communiter multa ignorantia in humanis et divinis laborant. Caece suos sequuntur pastores, quos itidem maxima ignorantia commaculat. Occidentales econtra magna in artibus liberalibus cultura gaudent. Theologi et pastores scientifice instituuntur, in rebus religionis vivam produnt controvertendi activitatem, quae etiam in ipsis inferioribus classibus animadvertitur, eo quod scripta theologica et polemica inter omnes spargantur. Alii haeretici, praeprimis orientales, auctoritatis principium admittunt; alii vero, notanter occidentales, rationem magistram sequuntur. Plures adhuc religionem

positivam seu vere revelatam, mysteria continentem, defendunt; haud pauci purum rationalismum sapiunt, omnia mysteria e religione expungunt, quare rationalistae seu deistae audiunt. Alii nonnisi suam religionem ratam habent; alii omnes admittunt, hinc indifferentistae nuncupantur. Iterum alii sunt dogmatizantes, qui principia sua omnibus obtrudere nituntur; alii quiete confessionem suam tenent, quin proselytas facere cogitent.

35. Apud omnes haereticos, generaliter loquendo, religionis catholicae summa est ignorantia. Inde praeiudiciorum multitudo contra hanc divinam religionem. *Necesse est, cuiuslibet sectae aut populi, quocum Missionarius agit, praeiudicia scire, unde nata sint, an ab ipso sectae imbibito spiritu, a perversis libris ac doctrinis, a communi et caeca opinione, aut a pessimo catholicorum exemplo.* Licet haeretici ordinarie contra religionem catholicam peius quam contra omnem aliam sint affecti, minime tamen putandum, quod inter haereticos non multi optime sint dispositi, potius errantes, quam haeretici, qui non solum honestam agunt vitam, sed erga Deum pios, erga proximum misericordes, erga seipsos sobrios, in omnibus morigeros sese exhibent. Hi religionem catholicam non aversantur, nisi quatenus per libros et homines mendaces talia de ea audiunt, quae utique abominanda forent, si vera essent. Hi religionem catholicam plurimum aestimare, et etiam suae praeferre incipiunt, statim ac eam melius cognoscunt. Nec aliter esse potest, quamdiu cor non est corruptum, quamdiu in homine sensus veritatis integer remanet, quamdiu malitia nondum Ecclesiae catholicae odium et bellum iuravit. Inde est, cur haereticorum duces omnem lapidem moveant, ut dictis ac scriptis suos in ignorantia et errore circa nostram religionem detineant, praeiudicia foveant, ac in dies nova mendacia inveniant, quibus eam abominabilem et execrabilem in omnium oculis faciant. Quare ante omnia, ignorantia et inde nata praeiudicia tolli debent.

36. *Conversio haereticorum est res difficillima, lente procedit et plane opus Dei habenda. Difficile* enim est eorum praeiudicia adeo profunde impressa et quasi innata dispellere; difficile est eos de necessitate religionis catholicae

persuadere; licet enim convicti sint, et nihil ulterius argumentis opponere valeant, subiectiva tamen persuasio deest, praeprimis indifferentismo nunc late dominante. Communiter religionem catholicam meliorem quidem, ast haud necessariam tenent. Difficile tandem est, eos ad religionis nostrae professionem movere, ob respectum humanum, inanesque timores, a quibus quasi a spectris nocturnis terrentur. Conversio haereticorum *lente* procedit, saltem si fundata et genuina est. Teste experientia raro conversiones brevi peractae felicem successum habuerunt. Donec enim omnia praeiudicia sint dispersa, donec dogmata controversa clara luce sint percepta, donec tot pugnae et timores sint superati, etc. etc., tempus requiritur multum, et eo maius, quo plus quis indifferentismi veneno est infectus aut rationalismo addictus. Viri praestantissimi ad nostra redeuntes saepe per plures annos inquirebant, conferebant, deliberabant, claudicabant. Quare conversio haereticorum est plane *opus Dei*.

Saeculis elapsis, magis adhuc saeculo praesente, plurimi doctissimi et praestantissimi protestantes non solum religionis catholicae veritatem agnoverunt, sed omni libertate, energia et eruditione in eius favorem scripserunt, reditum protestantismi ad eam sincere desiderantes, imo urgentes, quin tamen ipsi exemplo praeiverint. Noti sunt Hugo Grotius[1]) ac Leibnitzius.[2]) Nostris temporibus inter multos alios, eminet Antistes Hurter,[3]) praeprimis per opus suum: „Innocentius III. et eiusdem saeculum“,

---

[1]) Hugo Grotius, De veritate religionis Christianae, Parisiis 1627; Annotationes ad Vetus et Novum Testamentum, Parisiis 1644 et Amst. 1641—47; Opera Theologica, Amst. 1679, 4 vol., Basileae 1732. — Knud Krogh-Tonningh, Hugo Grotius und die religiösen Bewegungen im Protestantismus seiner Zeit. Köln, Bachem 1904. (Vereinsschrift der Görresgesellschaft zur Pflege der Wissenschaft im kath. Deutschland.)

[2]) A. Pichler, Die Theologie des Leibniz aus gedruckten und ungedruckten Quellen mit besonderer Rücksicht auf die kirchlichen Zustände der Gegenwart. München 1869. — Knud Krogh-Tonningh, Essays. 1. Plato als Vorläufer des Christentums. 2. Leibniz als Theolog. Kempten 1906. — F. X. Kiefl, Leibniz, Mainz 1913.

[3]) Fr. v. Hurter, Geschichte Papst Innozenz' III. u. seiner Zeitgenossen. Hamburg 1834—1842, 4 vol.; I. et II. 1838[2]. — Cfr. H. v. Hurter, Friedrich von Hurter und seine Zeit. Graz 1876—77, 2. vol.

necnon Kitt,[1]) qui librum edidit, cui titulus: «Praeiudicia protestantium contra catholicos». Utrumque opus in varias linguas est traductum; uterque auctor in Ecclesiae Catholicae defensionem a multis annis continuo se defatigat, ac innumeras inde causatas persecutiones patienter suffert; ast in neutro apparet conversionis spes, licet aliunde uterque optimis moribus, tenera pietate et virili charactere insignitus sit.

37. Incipiendum *est a pessimis praeiudiciis destruendis.* Missionarius inter haereticos vivens, multa praeiudicia dispellit vita sua exemplari et apostolica. Erga haereticos benignum, affabilem, et affectione plenum se ostendat. Caveat tamen a familiaritate proprie dicta et frequentia imprudenti, ne ipsis videatur eorum religionem adprobare. Aliunde talis familiaritas et frequentia multum Missonarii aestimationem et pondus imminueret. Quotidiana enim vilescunt; ut nihil dicam de variis defectibus, qui per eiusmodi frequentiam in Missionario percipiuntur. — In publicis instructionibus aut conversationibus sedulo evitentur, quae iure ac merito haereticos offenderent, si ea ad eorum aures pervenirent. His haud dicitur, quod veritatem catholicam ab haereticis negatam non debeamus publice et viriliter propugnare, ac contra errorem fideles praemunire, sed tantum, quod ab invectivis in haeresiarchas, in sectam, in individua desistamus, nec eorum dogmata risui exponamus. Limpida veritas rite in lucem producta et solide probata est summa polemica et optima erroris confutatio. Tenebras nec aliter, nec melius expelles, quam lumine admoto. Et ignes fatui orto sole per se evanescunt. Veritate invicte probata, error eo ipso corruit. Nemo autem haereticus nobis indigne ferre potest, si nostra dogmata dilucidamus et strenue propugnamus.

38. Ut Missionarius haereticos facilius convincat et ad Ecclesiae sinum reducat, iuvat in instructionibus, quibus

---

[1]) (Dav. H. Kitt [1776—1850]), Beleuchtung der Vorurteile wider die katholische Kirche. Von einem protestantischen Laien. Luzern, Räber, 1835, 1 vol. in 8°; [2]1839—40, 2 vol. in 8°; [3]1843—44. — (Idem), Glaubens-Einheit als Grundlehre des Christenthums in Bezug auf ältere und neuere Häresien. Luzern 1839.

haeretici assistunt, uti in privatis colloquiis, illas praeprimis exponere veritates, in quibus ipsi nobiscum consentiunt, quae tamen ut fons aut consectarium veritatum ab ipsis reiectarum habendae sunt; sic e. g. conveniunt protestantes circa divinam iustitiam, dissentiunt circa purgatorii existentiam, quod tamen dogma ex conceptu, quem ratio et revelatio de divina iustitia dant, facile sequitur. Argumenta in colloquiis privatis, aut controversiis publicis nonnisi solidissima seligantur; quare mittenda sunt argumenta, quae quantumvis speciosa, revera tamen nihil probant. Pessima enim foret impressio, si haereticus unquam animadverteret, nos passim falsitatis armis uti et dogmata nostra minus solidis imo sophisticis argumentis stabilire. Si talem errorem quis in publica controversia committeret, quanta confusio pro ipso, quantum praeiudicium veritatis, quantus triumphus adversarii! Ideo sacri textus et loca SS. Patrum bene examinentur, an revera id probent, quod probare intendimus. Scriptura in controversiarum materia numquam in sensu accommodatitio, quantumcumque pio, adhibeatur, licet Ecclesia et SS. Patres id faciant. Aliud enim est Scripturam adhibere ad fovendam pietatem, aliud ad probandam veritatem. Facta nonnisi certa afferantur; limpidae et probatae veritatis armis procedatur. Veritas sola veritate probata esse vult. Eo maiorem quis, nominatim in concionibus et privatis colloquiis, curam agat ostendendo, quam arcte veritas controversa tum cum tota salutis oeconomia, tum cum indigentiis naturae nostrae cohaereat, ac proinde quam acceptabilis ac consolatoria sit. Interea ante omnia Ecclesiae catholicae divina institutio, auctoritas et infallibilitas summa claritate ac soliditate demonstrentur. Quibus rite probatis caetera non amplius magnam patiuntur difficultatem, conversioque haeretici eo certior ac solidior erit, quo magis Ecclesiae divina institutio, auctoritas atque infallibilitas intelligitur.

39. *Haeretici, qui auctoritatis principium admittunt,* quales sunt orientales, *argumentis solidae dogmaticae scholasticae convinci possunt. Econtra ii, qui auctoritatis principium non admittunt, sed ad solam Scripturam et rationem provocant,* quales generatim sunt occidentales, *ex recen-*

tiorum theologorum argumentis revelli debent. Auctores, qui indigentiis nostri aevi satisfaciunt, celebriores sunt: *a)* Perrone[1]) Soc. Iesu, Praelectiones theologicae; *b)* Liebermann,[2]) Institutiones theologicae; *c)* Kenrik,[3] Theologia dogmatica; *d)* Moehler,[4]) Symbolica; etc. etc. Indifferentistae de summo salutis negotio ac discrimine convincantur et contradictionem palpare debent, quod in temporalibus tam magnam habeant sollicitudinem, quam parvam habent in aeternis, etc. Missionarius sive in privatis colloquiis sive in publicis controversiis, semper summum ostendat moderamen, nonnisi animarum salutem spiret, inconcussam habeat patientiam, caveat unquam irrisiones, provocationes etc. quas recepit, reddere, de victoria in controversiis obtenta non glorietur, sed ad exemplum S. Augustini omnem curam impendat, ut victus veritatem amplectatur.

---

[1]) I. Perrone S. I., Praelectiones theologicae, quas in Collegio Romano S. I. habebat. Romae 1835—42, 9 vol. — Idem, Praelectiones theol. in Compendium redactae. Romae 1845, 5 vol.; Viennae 1846, 4 vol.; Taurin. ^{42}1888 in 2 vol.

[2]) Bruno Liebermann, Institutiones theologiae dogmaticae. Mogunt. 1819—27; ^{10}1870 in 2 vol.

[3]) Franciscus Patritius Kenrick, Theol. dogm. tract. Philadelphiae 1839 et seq. 4 vol.

[4]) Ioannes Adam Möhler, Symbolik oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken und Protestanten nach ihren öffentlichen Bekenntnisschriften. Mainz 1832, ^{5}1838, ^{9}1884. — Idem, Neue Untersuchungen der Lehrgegensätze zwischen den Katholiken und Protestanten. 1834, ^{2}1835, ^{5}1900 (ed. P. Schanz). cfr. P. A. Langhorst S. I., Zur Entwicklungsgeschichte der Apologetik. Stimmen aus Maria-Laach. Freiburg i. Br. 1880. XVIII. 165—182, 374—387; XIX 47—64, 372—381; 1881 XX 22—38, 412—431, 467—486. — Auctores hodierni temporis tum ex bibliopolarum Catalogis, tum ex Chartis periodicis, quae theologiam colunt, sat superque innotescunt. Cfr. etiam M. Heimbucher, Die Bibliothek des Priesters, Regensburg, ^{6}1911.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
3 0311 00107 7952

WITHDRAWN

BV 2063 .H37 1914
Hartmann, Anastasius,
1803-1866.
Psychologia arti pastorali
applicata

DEMCO

VERLAG VON FELIZIAN RAUCH, INNSBRUCK

P. GATTERER, DR. M. S. J.

Annus liturgicus. 1912. 3. Aufl. Preis M. 2.90, geb. M. 3.75.

Die neue Ausgabe berücksichtigt alle, durch die Constitutio „Divino afflatu" und die hierzu von der heiligen Ritenkongregation erlassenen Erläuterungen, verfügten Neuerungen. Für jeden Priester und Theologiestudierenden bildet Annus liturgicus einen sicheren Berater auf dem weiten Gebiet der katholischen Liturgik.

Praxis celebrandi missam aliasque functiones eucharisticas. 340 S. 16. Preis M. 2.40, geb. M. 3.20.

Enthält in recht praktischer Ordnung, übersichtlich gruppiert, alle rubrizistischen Bestimmungen für alle Meßkategorien, ebenso alle Vorschriften über das Sanctissimum, Provisuren, Exposition, Reposition, Prozession usw.

P. GATTERER, DR. M. S. J. und P. KRUS, DR. F. S. J.

Katechetik. 2. Aufl. VI und 389 Seiten. 8°. Preis M. 3.40, geb. M. 4.25.

Ruhig abwägende Sicherheit, durchsichtige Klarheit, Vertrauth
Strömungen, Betonung des Übernatürlichen, das sind, na
hervorragender Fachleute, die großen Vorzüge dieses vo
chetischen Handbuches.

P. NOLDIN, DR. H., REKTO

Theologia moralis. 3 volum. et
Preis M. 15.90, geb. M. 22.06.

P. Noldins Theologia moralis wird allgem
werk der Gegenwart bezeichnet. Ein
Klarheit, Übersichtlichkeit, systemi
Kasuistik bilden die Hauptvorzüg
sich als ein unentbehrliches Leh
durchaus zuverlässiger, nie ver
fragen glänzend bewährt.

PENA D

Betrachtur
für Pri
135 Seit

42 köstliche Quelle
aller prieste als zur
homiletische

FR 253. H25 89-64
89-64

3 0311 00107 7952

VERLAG VON FELIZIAN RAUCH, INNSBRUCK

P. SCHÜCH J. O. S. B.

Handbuch der Pastoraltheologie.

16. und 17. Aufl. Bearbeitet von P. Dr. A. Polz, Professor O. S. B. XIII und 908 S. Gr. 8. Preis M. 9.80, geb. in 2 Buckrambände M. 12.60.

Der alte „Schüch" wird mit Recht als das klassische Werk über Pastoraltheologie bezeichnet, welches in der Bücherei eines jeden Priesters den Ehrenplatz einnehmen sollte.

P. A. SCHWEYKART S. J.

Im Zeichen der Zeit.

32 Vorträge. Festgabe zum Eucharistischen Kongreß. 1912. XIV und 326 Seiten. 8°. Preis M. 2.55, geb. M. 3.40.

Lichtvolle Vorträge über die Grundlagen, die Förderung, den Ausbau und den Höhepunkt des Christentums, durch das „Kreuzopfer — hl. Meßopfer", „Verehrung des göttlichen Herzens Jesu", „Kommunion und Eucharistisches Apostolat". Wertvoll für Priester und Laien.

TELCH, DR. CARL,
PROFESSOR DER MORAL IN COLUMBUS (OHIO).

Epitome Theologiae moralis universae

per Definitiones, Divisiones et summaria Principia per Recollectione Doctrinae Moralis et ad immediatum usum confessarii et parochi conscriptum. XXXII und 553 Seiten. Taschenformat. 1914. Indisches Papier, biegsam geb. M. 3.40.

Das praktische Büchlein, ein Auszug aus Noldins großem Moralwerk, soll vornehmlich dazu dienen, die wichtige Materie vor dem Examen nochmals kurz zu rekapitulieren, dann aber auch dem vielbeschäftigten Seelsorgpriester in dringenden Fällen schnell und kurz Bescheid zu geben und besonders auch im Beichtstuhl in schwierigen Fällen sofort Rat zu erteilen. Das Buch soll nicht ein eingehendes Moralwerk ersetzen, sondern nur ein kurzes Vademecum sein für plötzliche Fälle.

Druck von Oscar Brandstetter in Leipzig.

CO-ABV-057